



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Felicis Potestatis Panormitani Ordinis Minorum S.  
Francisci de Observantia ... Examen Ecclesiasticum**

**Potesta, Felice**

**Coloniæ, 1712**

Cap. XI. De Imprintibus libros hæreticorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40060**

nam, vel alterum folium separatam est scriptum, non liber, nec pars libri potentia proxima: in casu vero nostro pars divisa, cum non supponatur folium, sed volumen solum unius quaterini, non est scriptum, sed in se liber, partialis tamen, quatenus est per se ordinata ad compartem, & totum.

Confirmatur. Folium, quia per divisionem à libro evadit scriptum, dicitur in potentia remota liber: igitur pars libri, de qua est sermo, quia per divisionem non evadit scriptum, retinet actu esse libri in se, & in potentia proxima esse libri totalis continentis hareticum.

CAPUT XI.

De imprimentibus libros hareticorum.

448 Imprimentium nomine veniunt: Officina impressoria dominus, cuius altiori aere libri typis mandantur; quia typos vidant, & componunt: qui sic compositos inungunt atramento: qui torcularia premunt: qui chartas mades faciunt, aut mades factas torculari supponunt: hi namque omnes imprimere dicuntur; & ideo omnes censura Bulla Cœna innotantur: ita Leander de cens. 11. 3. 67. l. 9. 82.

Transcribentes libros hareticorum, eandem censuram incurrent; quia nulla est in substantia diversitas; imò sunt fautores hareticorum, cum eos sic maxime adjuvent ad propagandos errores. Leander cit. 9. 87.

449 Qui expensas impressionis facit, non incurrit censuram; quia non dicitur imprimere, sed remota ad impressionem concurrere, peccat tamen mortaliter; incurrit autem censuram ut fautor, si id faciat, ut faveat heresi: Imò & omnes sub nomine imprimentium n. 448. relati erunt etiam fautores, si ea ministeria exhibeant, ut faveant heresi. Leander cit. 9. 84. & 86.

450 Corrector exemplatis impressi hanc censuram non incurrit. Leander cit. 94. 83. Fagum. Suarez, & alii apud ipsum contra Fulv. Palao, & Tamb. lib. 2. Decal. cap. 1. §. 7. n. 46. quia proprie non est impressor, sed impressi inspector; incurrit autem censuram Cœna ratione legentis librum haretici, si corrigendo notabilem partem legat.

451 Tradens librum, ut imprimatur, non est impressor, sed faciens imprimere, Fagum. lib. 2. in Decal. cap. 14. nu. 37. contra Leandrum cit. 9. 85. & Tamb. cit. unde incurrit censuram Cœna, non ut impressor, sed ut hareticus, si est libri Auctor, vel ut fautor, si non est Auctor; cum sic maxime faveat heresi, propagando.

452 Qui impressoribus vendunt characterem æneum, papirum, atramentum, & alia ad impressionem necessaria, non incurrit censuram, nisi ea ministrant, ut faveant heresi; quia tunc erunt fautores, non impressores; nam non concurrunt proxime ad impressionem, Leander cit. 9. 86.

CAPUT XII.

De defendentibus libros hareticorum.

453 Defendentes libros hareticorum, subduntur tantum Bulla Cœna, non Bulla Pii IV. aut Indici. Quia in his nulla fit mentio de defendentibus.

454 Ex Bordon. in man. consult. sect. 49. num. 85.

Modi defendendi librum hareticus sunt, si verbis, vel factis, aut scriptis exaltetur liber probando, qua in eo scripta sunt esse vera. Qui librum abscondit. Qui impedit, ne destratur ad S. Officium, aut ne comburatur. Qui laudat opus, qui persuadet non esse dignum combustionem, vel iniuste fuisse prohibendum.

Kkkkk 3 455 Ex.